

MAXIMILIANO  
AVSTRIO II ROMANORVM  
REGI, PIO, FELICI, AVG.  
SACRVM.

142

**T**Andē animo, atq; oculis lux iucundissima nostris  
Certiū affulsit, qua te Rex maxime Regum,  
Cernimus ingenti cumulatū laudis honore,  
Romanasq; Aquilas circū, uictoricibus alis  
Te excipere, Augusta dominantē in sede Quirini,  
Cui latē assurgunt Tyberis, populiq; Latini,  
Et Rhenus, gelidisq; pater Danubius undis.  
Sed neq; te quisquam, o soboles generosa Deorum,  
Imperio magis aptus erat, sceptrisq; gerendis,  
Quem dudū Regno assuetum iuuenilibus annis  
Obstupuit primū latis Hispania terris,  
Miraturq; suū celebris nunc Austria alumnum,  
Austria Dīs accepta parens, atq; æmula Cælo.  
Scilicet ad magnos te accensum fortiter ausus  
Et Pater, & Patruus, seriesq; inuicta tuorum  
Impulit, & summa ad rerum fastigia duxit.  
En felix quæ nunc animo Germania uersat  
Gaudia: quā multum de te sibi præscia spondet.  
Forſitan illa etiam prudens, ac gnara futuri  
Tempestatem illam uidet, ac felicia quondam  
Secula, cū totum, ueluti Sol aureus, orbem  
Percurrens, miseram Europam, uicinaq; Regna  
Restitues, fractis succurrens undiq; rebus.  
Atq; hæc ante alias omnes te maxima cura  
Solicitat, stimulatq; animum uirtutis honore  
Flagrantē, atq; adeo, Rex optime, pertinet ad te:  
Tu quoniam es prisce Imperij seruata propago,  
Vndē olim Diuū auspicijs se Romula uirtus  
Extulit, atq; caput felicibus intulit astris.  
Quæ tibi maiestas formæ: quæ gratia morum,  
Delitiæ humani generis Rex magne Quiritum.  
Nam te seu medium excipiant Patresq; Ducesq;  
Incedasq; tuas sublimis fortē per urbes,  
Seu tibi commissas Regni modereris habenas,

In fronte atq; oculis tantus decor emicat, ut te  
Quisq; putet sanctum in terris, & amabile Numen.  
Hinc te tot procerum studijs, plausuq; frequenti  
Regnatorem orbis magno cum CAESARE læti  
Aspicimus, festosq; dies celebramus ouantes.  
Fortunate nimis (si quid canit Augur Apollo)  
Quem tot Barbarico cumulata ex hoste trophæa,  
Tot spolia ampla manēt: ipsum nō Caucasus ingēs  
Maumethem capiet pauidū, non Bactra, nec Indi.  
Iamq; ego Pannoniam collectis uiribus omnem,  
Germanasq; acies uideo, densosq; maniplos  
Austriadum, genus acre uirū, fortesq; Boëmos,  
Fatales uolucres ultrò tua signa sequentes.  
Quin etiam magnam Ausoniā socia arma, uirosq;  
Et paribus iunctim concordia pectora dextris  
Vertere in externos diuini nominis hostes.  
Tum demū Euphratē tremere, et magni hostia Nili,  
Atq; Asiam trepidare metu, sæuosq; Tyrannos  
Cernere erit passim duplices tibi tendere palmas.  
Te uerò inuectum niueis Bellona quadrigis,  
Victorem latē populorum, altaq; corona  
Conspicuum, ducet longis in templa triumphis.  
Ifelix Auguste, Deū certissima proles,  
Quò tua te uirtus, quò te rapit inclytus ardor.  
Dij tibi quæsitum non ui, non fraudibus ullis  
Imperium longū seruent: quòd si omina Vulgi,  
Si spectes studia, æterno es dignissimus æuo,  
Nec mortem oppetere unq; aut tristia fata subire:  
Vsq; adeo te cuncta ætas, iuuenesq; senesq;  
Certatim admirantur, amant, uenerantur, adorāt.  
Ipse etiam, pulchri qui quondam ad flumina Moeni  
Cæsareos tenui descripsi carmine honores,  
FERNANDI patris Augusti, nūc debita soluo  
Vota tibi, pronusq; tuæ figo oscula dextræ.

And: Rapiçij. I.C.



